



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

14. Irrisor retorto collo præposterè videns punitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Quale etiam fuit illud curuicernicum pecus, sani infelix imago, homo verè præposterus, de quo in vita S. Ludouici Francorum regis legimus, eum in mirabile monstrum esse demutatam. Inter ceteras D. Ludouici Galliarum regis virtutes eminuit mirabilis quædam moderatio, & victoria mandanæ vanitatis. Non ille fulgere in auro, non in purpura atque ostro nitere amabat, sed vestitu communi ac simplici regiam tegebat dignitatem. Itaque ornatu, quem ille à vestitu non petebat, à miraculis illi accessit. Accidit aliquando, vt Comes Geldriæ Parisios nuncium cum litteris mitteret, illico rediturum. Ex eo reuerso sciscitatur Comes: *Num regem Francia Ludouicum vidisset?* Tum ille, vel vt per iocum domino placeret, vel vt per sannam regem contemneret, improba imitatione collum contorquens & in humerum reijciens, *Vidi, inquit, vidi illum miserum papillardum regem grisea veste indutum ad scapulas caputium gerentem.* Dixit, & quod dixit, miserando modo expressit. Finierat enim vix ea verba, cum ecce, facies eius in collo rotata ac retrorsum acta, ita retorta permanfit, vt in contrarium intueretur, & iam, quod animam verè erat, etiam corpore homo peruersus esse videretur. Cui hæc tam monstrosè non videntis quò ambularet, deformitas est ascribenda? merenti, an punienti? Videre nequeo, quomodo in Deum culpa possit transferri. *Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se ab eo auertens respexerit retro, cum vxore Lot; iniuriosus, non curiosus, contra illud cælestis Magistri: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Itaque iure irrisor iste diuinæ iustitiæ est immolatus, sicut olim aues, *retorto ad collum capite.*

Defensa est in hoc monstro regis Galliarum virtus & sanctitas; punita alterius impietas in eo quod sequitur; non tantum capitis, sed etiam colli monstrosi, prodigio, cuius in historia Aquitanicæ fragmentis ex Pithæi collectione editis fit mentio. Sed satius est dare verba Petri Damiani Archiepiscopi Rauennatis & Cardinalis, qui ita scribit: *Deus omnipotens terribili exhibet etiam in hac vita iudicium, nec tamen miseri homines desinunt.*

CCCC 2

XIV

Sur. tom. 4.  
in vita S. Ludouici.

Eccles. 7. 30.

Gen. 19. 26.

Luc. 9. 62.

Leuit. 1. 17.

XV.

Petr. Dam.  
ep. ad Desiderium Abbat. Gallia.